

autem hac historia binas effingit hic Purpuratus, eamdemque etiam ad annum 690. refert, eiusdem Bedae testimonio de una eademque re differente nixus, quum tamen Bedae in mentem venerit numquam de duplice profectione Romana verba facere, quippe qui commemorat, Egbertum auctorem hortacoremque fuisse, ut Willebrordus sociique itineri euangelico se daturi, in Frisiam proficiscerentur, ibique officio suo fideliter fungerentur, nulla mentione facta, quod prius Romanam petere debuerint. Illo etiam loco, quo Baronius probare annititur, apostolos Egbertianos 690. Romanam contendisse, Beda nos docet, eos iam per aliquot tempus in Cimbria partes suas prius impleuisse, quam viae Romanae se accinxerint. Quocirca a recta via utique aberrat Baronius, quod manifestum est, Willebrordum anno 690. et 696. Romanae viae se bis non commisisse, quum, secundum Bedam, semel dumtaxat anno 696. profectionem suscepit Romanam. An autem ex illo itinere concludas, Willebrordum a Pontifice apostolatum ad gentes, sive licentiam atque auctoritatem Euangelii praedicandi petisse? Si hoc intendisset, quidni iam anno 690. quo apostolus euaserat fecisset? Nunc ob priuata sua negotia viae Romanae se dedit, ut Archiepiscopus Ultraiectinus constitueretur, quod ad missionem Cimbricam plane non facit. conf. Beda l. c. Baron. ad ann. 696. n. 11. Mitto, nullo neque Bedae neque Marcellini testimonino Baronium tueri posse, hanc profectionem ab omnibus apostolis Pipini auspicio missis tum susceptam esse. E contrario constat Vigbertum martyrem ann. 696. e medio sublatum iam fuisse. Quin etiam, ipse fatetur Baronius, ex hisce apostolis Suidbertum, qui tamen sacro ordini erat initiandus, ne quidem profectum Romanam, sed in Anglia Episcopum esse consecratum. Baron. ad ann. 695. n. V. seq. Praeterea bac occasione obiter obseruandum, Marcellinum unum e duodecim apostolis Pipini, qui vitam S. Suidberti scripsisse perhibetur, et cuius auctoritate Baronius complura ad historiam Cimbriae sacrae facientia communis, hoc tempore non modo a nostris Criticis suppositum auctorem merito appellari, sed etiam ipsos pontificios scriptores non audere amplius pro genuino illum agnoscere. Sic collectores actorum sanctorum mens. Mart. ad d. 1. Mart. fol. 70. n. 2--5. Jo. Mabillonius in Actis sanctorum Benedict. Tom. I. sec. III. ad ann. 713. p. 239. omni argumentorum pondere illum Marcellini foetum,

chius